

05
A
1404





EXERCITATIO ACADEMICA
PRIOR,
De
Causis laboranti

Naturæ obstetricantibus :

Virtute sc. Cæli & Ignis sub-
terranei;

Quam

Divina favente Gratiâ,
In Illustri Academia VVittebergens.

Benevolæ Eruditorum disquisitioni
submittent

PRÆSES

M. ADAM PURPIUS, Marchic.
Med. Stud.


atq;

RESPONDENS

JOHANN: CHRISTOPHORUS Adlung,
Erfurtinus.

In Auditorio Minori, ad d. XIII. Febr.

Horis pomerid.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

Anno MDC LXIX.



05 A 1404

RESERVIERUNG

JOHANN CHRISTOPHORUS SCHMIDT

Lehrbuch

der Arithmetik

für Schulen

von Johann Christoph Schmidt

Halle

1774

12 Bogen



EXERCITATIONIS ACADEMICÆ,
De
Causis laboranti Naturæ
obstetricantibus, virtute nimirum
coeli & ignis subterranei;

PRÆFATIO.



Ivinum fertur epiphonema illud
Algazielis Arabis lib. de Influent. cœlest. Qui-
cunque vinculum noverit, seu catenam
illam magnam, superiorem mundum
connectentem inferiori, omnia nove-
rit naturæ mysteria, & mirabilium aget patratonem.
Omnia enim arcanis colligata nodis, in admirandas
hasce actionum & passionum vicissitudines ruunt. Et
nihil est, (*ait Hermes Trismegistus in Tab. Smaragdina initio*)
inferius quod non sit sicut id, quod est superius, & nihil
superius, quod non sit sicut id, quod est inferius. Quod
naturæ conjugium eleganter etiã veteres per raptum
illū Proserpinæ fabulosum tradidisse, autor est *Illustris*
Baco de Verulamio cap. XXIX. de Sapientia Veterum. In-
geniosissimi sane Ægyptii, uti plurima & inaccessa
reliquis gentilibus divinæ scientiæ documenta, ex
primorum Patriarcharum successivæ traditionis pro-
pagine expiscati sunt historicis: ita hic etiam miram
osten-

ostenderunt mentis sagacitatem; Sphæram enim ponentes, ex qua tres triangulorum catenæ deducebantur, per sphæram quidem divinæ essentiæ prototypon, per trigonum triformis DEI naturam, denotasse perhibentur, per tres vero catenas triangulorum, tres Mundos Intellectualem, Sidereum, & Elementarem, eorumq; concatenatam connexionem intellexisse, *Author est Vir summus & incomparabilis planè P. Athanasius Kircherus Oedipi Ægyptiaci Tom. 2. part. 2.* Sublimia licet hæc sapiant, quædam tamen nigro notanda venire calculo, quædam assensum mereri, satis patet. Missis cæteris quæ ad nostrum spectant forum, excusiam, i. e. *Harmoniam Mundi Siderei & Elementaris.* Ita autem sentio, Ægyptios hic Icario ausu ceratis tamen nitentes pennis, nimis altum tentasse volatum, ut cum *Horatio lib. 4. od. 2.* loquar: Verbo dicam: curiositas eorum nimis profunda, & religio hac in parte nimis alta, posteris indignum movent risum. Tantum enim putarunt utriusque mundi consensum, ait *Zoroaster ap. Athanasium Kircherum in Astrol. ut & passim lib. 3. Obelisc. Pamphil.* ut intuentes admirandas cœlestium virtutes, in eam devenerint sententiam; nihil aliud esse firmamenti expansum, quam librum stellis veluti literis quibusdam insignitum, ex quarum combinatione, omnium seculorum eventus decretaque hominum DEI digito inscripta legantur. Non dissimilia leges *lib. 1. & 3. occult. Philos. ap. Heinr. Cornel. Agrippam,* & plurima hujusmodi de sorte & sortilegio deliria *apud. J. B. Portam in Physiogn. cœlesti ex Sexto Empyrico,* aliisque annotata reperies. Verum enim verò nimiam hanc sapientiæ altitudinem, (*judice summo Viro, Herm. Conringio lib. de Herm. Ægypt. Medic.*) impiæ super-

superstitionis plenam fuisse, cuius sponte innotescit. Sicuti autem, quantum ad cœlestem agendi virtutem Ægyptiorum excessum merito improbamus; ita etiam summopere detestamur hæc *Eriscblini in defectu peccantis verba lib. 1. Astron. Cœlo Stella ornatus tantum gratia indita sunt, non secus ac cœnacula emblematis & tessellis exornantur.* Bene dixerim, hunc tantum finem cœlestia corpora non sollicitare, sed uti formam suam à Cosmotechnite acceperunt, ita etiam operationes formam indivisibiliter subsequentes obtinent, quæ universam naturæ sublunaris faciem, in diversissimas cogunt alterationes. *Quid Geocosmus noster, nisi amplissimum naturæ laboratorium, torpidum alias nisi ab extrâ beneficis spiritibus seu virtutibus cœli, ab intrâ mutua elementarium principiorum fermentatio & imprimis subterranei Ignis activitas, ad innumerabilem naturæ sobolem producendam animarent.* Nos pro exigua ingenii capacitate demonstraturi & explicaturi, reciprocam hunc tam superioris quam inferioris mundi, vel potius in hoc inferiori mundo subterranei ignis influxum in triplex naturæ regnum (minerale, Vegetabile & Sensitivum) ad sustentandam rerum naturalium œconomiam, supplices divinam sollicitamus gratiam, ut, quæ bonum velle & perficere largitur, benignè nostris faveat conatibus.

SECTIO I.

ARTICULUS I.

§. I.

Satis feliciter analogica rerum collatio, in abstractam nos deducere videtur cognitionem. *Romane*

As

Aca-

*Academia Lyncea effatum est, uti ex pluribus celeberrimi Petri Castelli locis constat: huic reseratum esse portam ad penetrandos abditos naturæ effectus, cuicunque rerum naturalium analogismi cogniti fuerint. Quibus etiam principiis Job. Bapt. Porta ejusdem Academiae Collega universam suam superinstruxit, Phytognomiam & Physiognomiam, lectionibus hæcce patent. Medici sane ex sensibilibus Macrocosmi impressionibus eruditè per analogiam hanc collegerunt microcosmi etiam intimas quasi impressiones. Hinc enata puto *Meteora Macro & Microcosmi Stephani Roderici Castrensis*, hinc etiam *Magni Fortunii Liceti analogia hominis & mundi*. Nos itidem duo esse vidimus principia quæ in conservationem & operationem microcosmi, continuatis incurrunt viribus: *externum & internum: externum, Cælum est, Solis Lunæ, Stellarumq; virtus: Internum spiritus ille intus alens, totamq; infusa per artus mens agitans molem, actus ille corporis: ita tamen externo connexus, ut hoc sublato totum merito dissolvi censeas. Per analogiam non adeo inepti collegimus, iisdem prorsus gaudere principiis macrocosmum, quorum uno sublato, totum in operationibus suis deficere necessum foret. Et res ita sese habet. Ab extrâ enim influit & imprægnat Geocosmi corpus fecunda cæli virtus, ab intrâ obstetrices manus partui naturæ maturando supponit, sedulus ille interioris fabricæ terrestris Monarcha Ignis Subterraneus.**

§. 2. Sic eodem plane modo quo in humani corporis microcosmo unum alterum fovet membrum, & reciproco fôtu omnium fovetur totum: eodem, inquam, seduli hi universæ naturæ œconomi influxibus reciprocis virtutibusq; unicuiq; propriis mutuo se afficiunt, atq; omnem hanc, quam aspicias mundi machinam fovent, alunt, roborant, median-
teq; mutua virium & operationum conjunctione perpetuò conservantur. Cælum quidem quas non sublunarium mutationes, tam perfectivas quam destructivas, incrementa & decrementa producit? Omnis hinc prostat temporum vicissitudo, experimur etiam, (*sic Philippus à Sanctissima Trinitate part. 2. curs. Philos. quæst. 6.*) quod ad conjunctiones quorundam

dam astrorum sterilitates causentur, item abundantia, tranquillitates, tempestates: ad ortum & occasum Solis & Lunæ oriuntur vel deficiunt venti, intenduntur & remittuntur. Denique tam certæ sunt hæc cælorum influentiæ, ut Medici etiam ad astrorum congressiones & aspectus, maximè verò Lunæ in suis attendant curationibus. Monuerunt hæc novissimè in princ. *Method. medend. Celeberrimus Dn. D. Hoffmannus ex Divo Hippocrate. Ut & Vir immortalis memoriæ Magnif. D. Schneiderus passim lib. 4. de Catarrhi causis externis & lib. 5. de catarrhosorum diætâ: & quæ non sexcenta alia, ad nauseam usq; Jacobo Primerosio lib. 4. cap. 10. de vulgi erroribus in medicina* hisce principiis superstruunt. Agricolas quoque Lunæ incrementa observare ad serendum, cui non patet? *Hinc Virgilius lib. 1. Georg. edocurus agrestes*

Quid faciat latus segetes, quo sidere terram
vertere conveniat, ulmisque adjungere vitem;
eleganter ait:

- - - cæli menses & sidera serva,

Sol namque ex oriens & cum se condit in umbras

signa dabit: solem certissima signa sequuntur.

§. 3. Opportunè autem hic moneo admirandam corporum cælestium activitatem omnem sublunarium generationem non absolvere, præter specificam cujusque rei formam principium quoddam, adjuvans quasi, necessario dandum esse plane censeo. Per exemplum rem luculenter demonstro: summa & infallibili necessitate virtutem cæli participat microcosmus homo, sed nec eadem ad conservationem illius sufficit, præter ipsum substantialem actum, animam scil. Spiritus requiruntur, cum insitus tum influentes, qui prout à levi injuria vel in anomalos coguntur motus, vel penitus suffocantur, horrenda machinantur symptomatum genera, imo ipsam mixti corporis dissolutionem, uti ingeniosissimus docet *Angliæ Medicus Thomas de Willis cap. 12. de febribus & veneno, illustris Boyle in experim: de aëre.* Rem eodem plane modo se habere in macrocosmo persuasus sum.

sum. Fateor quidem tùm aqueum maris elementum, tùm superficialem terreni corporis molem ab astralibus corporibus in diversas concitari alterationes & generationes: sidera enim (*ait Minutius Felix in Octav.:*) cælo affixa omnibus tamen sparguntur terris, pariter præsentia ubiqve naturæ operationibus intersunt & omnibus miscentur. Imo pluribus evincere conatur argumentis *Macrobius* ad Solem Lunamqve omnes DEos Deasque, tanquam ad Numina referri, quæ sub varia nominum appellatione gentes veneratæ sint. *Hinc ap. Eusebium lib. 3. cap. 3. præp. evang. Sol quatenus tractiva vi omnium meteororum causa existit, Mercurius Porphyrio dicitur, Neptunus ob dominium in mare & flumina, Horus quatenus anni tempora circumvolutus efficit. Luna vero quod influxui Solis veluti viro mulier substet & generationis rerum quasi mater sit, Rheæ audit. Venus ob fœcundam & seminalem vim appetitumq, ad generationem. Ut hinc tam ex nostra quam veterum etiam confessione cali virtus sublunaribus intimè communicata, luculenter innotescat.*

§. 4. Sed salva quorundam autoritate dixerim, quod ad omnem hunc naturæ fœtum vel excludendum vel fovendum non sufficiat: cum enim activitatis sphaera determinata sit, impossibile omnino iudico cum *Rever. P. Athanasio Kirchero ex Arte magna luc. & umb. ad intima usque terrestrium viscerum meditullia eandem penetrare. Ideo sicuti ante à spiritum influentem cum Incomparabili Sennerto lib. 1. Instit. Medic. cap. 6. & Fernelio lib. 4. Physiol. hum. cap. 2. microcosmo attribuit ita hic etiam subterrestri fabricæ macrocosmi vim quandam assigno internam, ignem nimirum subterraneum: hic tanquam vitalis quædam energia per Geocosmi membra diffusus, eadem vivificare dicitur, *Illustri Athanasio Kirchero lib. 3. art. magnet. & sine hoc terreni globi promuscondus interior frigoris inclementia omninò obrigesceret, idem ait lib. 4. Mund. Subterr. Nullus itaque eundem propter interiores naturæ actiones, in mineralium metallorumque productione tanquam novum quoddam explodere audeat**

audeat paradoxon. Jamdudum rei hujus veritatem erudito
orbi demonstravit *Inclyt. Florentinorum Medicorum decus Johan-*
nes Nardius tract. de igne subterr. & sapientifanè confilio ignem
in supraterraneum distinxit & subterraneum *B. Sperlingius*
noster lib. 4. instit. Phys. Commotus dubio procul & experientia
& ratione plurimis enim in locis palàm spectamus perennes
subsistentis ignis Caminos, & immensos itidem subterrestrum
æstuariorum promoscondos, ac manifestos in eis æterni ignis
effectus, fumum, flammam, fervores, & quæ vasta divulgis
Caminis successu temporum excitantur incendia. Quæ orbis
pars non hic spectabili favet testimonio? Universam adduci-
mus Siciliam, Italiam, Hetruriam, ubi montes *Ætna, Ve-*
svivius, Campi Phlegrei propter sævientem in subterraneo
terræ utero *Vulcanum*, vel ut cum Chymicis loquar, *Ar-*
chæum, & in apertas erumpentem flammam, memorabiles
existunt. Sic in Pyrenæis montibus penes pagum *Dax* ignes
copiosi visibili, & violentissimâ flammâ tam ex ipsis puteis
quam insimul ex terra eosdem circumscribente, prodire, au-
tor est *Excellent. vir Peter Johan. Fabr in hydr. Spag. lib. 2. cap. 4.*
Prolixus esse nolo ubi rerum testimonia adsunt. Hoc salt em
tanquam palmare addam, ex *lib. 4. c. 3. Mundi Subterr. Rev. P.*
Athanasii Kircheri, Viri sane in admirationem seculi nati, judice
Illustri Rolfinkio, de purg. vetegab. Quemadmodum in corpore
humano microcosmo calor per omnes totius corporis meatus diffu-
sus, Spiritibus suis omnia animat, vivificat, instaurat, agitatur,
unâ cum humorum massâ conjunctus: Ita & natura opifex non
minor providentia Geocosmum constituit, ignibus copiosissimis &
uberrimis illum pro tantâ molis ratione instruens, ne alicubi deesset,
quod naturalibus operationibus tantopere est necessarium. Est
itaque corpus humanum, id est, microcosmus, aëre, igneis Spiritibus,
atque humoribus refertus, est & Geocosmus.

§. 5. Frustranem igitur est universa argumentatio acu-
tissimi aliàs *Andree Casalpini lib. 3. qv. Peripat.* quæ probare
velle videtur per aquam saltem à Sole calefactam & per sub-
terraneos fluentem atque refluentem anfractus, calorem inte-
riori Geocosmi fabricæ communicari. Fateor quidem
B magnum

magnum quoddam naturæ arcanum hic subolfecisse *Casalpinum nostrum*, nimirum *absconditos in terra abyssis hydrophylaidicos canales*: per hos enim tanquam per occultos naturæ interioris meatus, immensa aquarum moles præcipitata, & perenni pericycloseos lege continuanda, in universæ telluris viscera labitur, dubio procul ob stupendos in natura fines imprimis autem ne Vulcaniæ officinæ globum terræ Phaethontium alius sensurum periculum in cineres redigerent favillasq; vel etiam ipsas, deficiente nutrimento & combustibilis materiæ fomite cessante deficere necesse foret. *Vid. curiosiss. collegii curiosi Phosphorum Dminum à Levenhaimb in anal. motu oceani micro & macrocosmi, ut & Magnum Thomam Bartholnum lib. de Hepatis desperata Causa sect. 3.* Verum enim vero multum de subtilitate sua decoquit, asserens, perennem caloris per excalectum mare, continuationem: quot quæso alterationes subit latex noster vitalis, Sanguis, pro varia conditione vasorum, quæ pertransit. Dum venas & arterias circulando pererrat, (*vid Harvejum de motu cordis cap. 4. & 5.*) in corde tanquam foco excoctus & rarefactus laudabile suscipit caloris augmentum ait *Illustris Hermannus Conringius lib. de igne animali*, attamen universus hic calor, quam facile à levi etiam injuria totus destruitur, ut exinde etiam massa sanguinea instar lactis ab infuso coagulo aut spontanea aciescentia coaguletur, grumescat, & finita circulatione ultimum adducat exitium uti in assumtis venenis fieri docet *nunquam satis laudandus Thomas de Willis lib. de febrilibus cap. 12. de venen. & Fracost. lib. 1. de morbis contag.* Pari pacto quot non concipit mutationes ipsum elementum aqueum pro ratione cuniculorum & materiæ quam allambit: hic sulphureum apparet, illic deposita vel quasi suffocata sulphurea tinctura, bituminosum evadit vel aluminosum: hic calore exastuat, alibi cum insigni se exonerat frigoris sensu, ut ideò nullo modo caloris propagatio Casalpiniæ per frigidos canales subterraneos, probabilis videri possit *vid. cap. 1. itiner. ecstat. terr. Athanasii Kircheri* Deceptus autem fuit *eruditissimus Casalpinus fallaci interpretatione Aristotelici textus 18. lib. 2. de generat. & corrupt. cap. 10.* qui tamen incommode ad eò extenditur; patet istud

ex commentariis Collegii Connimbricensis ad textum §6. citati libri & posito quod adeò extendi possit, aperte falsus Aristoteles erit, accuratè hoc demonstrante *Clarissimo M. F. Wendelino Sect. 3. Phys. contempl. cap. 13.*

§. 6. Melius meo quidem iudicio non philosophatur *Experient. Dn. D. Lange c. 2. th. 26. de Thermis Carol.* cui omnis omnino calor planissime à cælo descendit seu Solis carbunculo, ideoque nullum in subterraneis locis dari calorem vel ignem posse censet nisi is prius à Phæbeja lampade fuerit accensus. Quærere hic liceat, quisnam calor succensum dederit montem in *Islandia Heclam*, qui omnium *Geographorum* & imprimis *Olai Magni* relatione famosissimus, quoad verticem perpetua nive candens, quoad radicem inextinguibilibus incendiis flagrans existit. Quærere itidem liceat, quisnam calor succensum dederit *Vulcanium illum in Groenlandia montem circa radices Monasterii D. Thome* ex cuius pede fontem ignitum erumpere ocularis rei inspector affirmat *Barthol. Zenotus ap. Athanas. Kircherum lib. 4. Mundi subterr.* Apage hic cum lampade Phæbeja cuius igneus calor cum ne laxam quidem superficialis glaciei & nivium compagem in montibus hisce septentrionalium Insularum perenni frigoris inclementiæ damnatis dissolvat, multo minus duram penetrans montium structuram, hæc subterranei ignis suscitabit incendia. Convenientissimè igitur affirmavero, quod sicuti architectonica mentis divinæ sapientia immensum maris pelagus ad distribuendum in universi Geocosmi venas in deficientem aquarum copiam disposuit, ita etiam debita servata proportione in abscondito terrenæ molis ventre magnum hunc ignis apparatus collocaverit, ad necessarium rerum usum, telluris vegetabilium, & mineralium emolumentum. *Atque sic demonstratum & vindicatum dedimus realiter existentem influxum Solis nostri cælestis (virtutis sidereæ) & Solis subterranei (ignis subterrestri) quibus sanè ope mutua & discordi quadam reciproce actionis concordia, feliciter nature parturienti obstetricantibus, omnia rerum semina per viros fermentationis motus, in eam cum multitudinem tum varietatem corporum animantur, quam intra intimam terræ Structuram, ac in externa etiam superficie obstupe-*

scentes intuemur. Modus quo procedant jam explicandus in sequentibus.

ARTICULUS II.

§. 1.

Architectonica sapientia hæc admiranda naturalis Oeconomix penetralia adornans, quamlibet ejus speciem divinis planè vel agendi instruxit qualitatibus, vel proportionatam attribuit patiendi aptitudinem. Atque per has facultates tanquam distincta media, omnem peragi supposito- rum operationem, jam olim *D. Thomas docuit, prim. part. qu. 54.* Ratio à priori licet difficulter admodum reddatur fatente *Fr. Suarezio tom. 1. disp. 18. assensum in.* Thomistica meretur conclusio, in sufficienti fundata inductione. Per distinctam enim facultatem tam animata operantur quam inanimata: ipsa etiam elementa suas sibi naturaliter insitas potentias habent; per has sursum feruntur atque deorsum, per has etiam stupendas moluntur compositiones & mixtiones, (*vid. Athan. Kircherum lib. 3. art. Magnet.*) mirabiliumque exinde effectuum causæ existunt *vid. Helmont. in Tum. pest. Joh. Riolanum prim. part. Physiol. Art. medic. Georg. Harn. in arca Mosis. Eman. Maign. Cursus Phil. tom 2. cap. 12. 13. 14.*

§. 2. Missis cæteris nostrum assumamus Ignem Subterraneum, hic prout vel mediate vel immediatè pro vario intensio- nis & remissionis gradu, objecto patienti coheret, quid non per calorem saltem machinatur? Bene *Dn. D. Kergerus scil. 1. de ferment.* quamprimùm se ignis ex angusto suo spatio diffuderit, attenuaciones intentat, solutiones generationes & corruptiones, ea vero quæ ejus naturæ congruunt, oleosa nimirum & sulphurea invadens consumit. Ignis opera est hæc omnia conficere *vid. Conring ad Billichium.* Sic rapax hæc flamma omnia sibi assimilando, tot diversas naturæ facies inducit unicè per & propter calorem, qui mixta penetrans iisdem vario communicatur modo. Per intimum hu- jusmo

jusmodi communicationis, genus Cælum etiam virtutem suã
inferiori huic mundo juxta veteres infundere *Basso tradit l. 2.
de celo. Ita ajens: Per catenam quam Homerus finxit à celo
ad terram usque pertingentem, veteres effluvia & immensa
ignium maria, quoque vovorsum diffusa à stella qualibet in-
tellexere. Atque sic quos Peripatetici radios vocant, antecesso-
res nostros igniculos continua validaque jaculatione ab astris
in terram profusos, appellasse constat. Quæ tamen senten-
tia hodie etiam reviviscens *Maximis arridet Viris.* Nam per
hujusmodi effluvia virtutem suam panspermaticam subluna-
ri mundo cælestia communicare corpora, *autor est, Phœnix* //
Mathematicorum hujus seculi Job. Bapt. Ricciolus lib. 8. & 9. Al-
mag. novi. Christophoro Scheinero in Rosâ Ursinâ, uti præter as-
sertam igneam & aqueam astrorum naturam cælique liquidi-
tatem, omnia mundi corpora ex quatuor componuntur ele-
mentis, ita perpetuis etiam subjiciuntur generationibus &
corruptionibus: Hinc singulos astralium corporum globos
suos ex spirare atmosphæras docet, singulosque differentes
influxuum rationes possidere. Quæ assertio tantum valuit
ap. Athan Kircherum ut auspicatoris cælestis itinerarii paradoxa,
eandem tanquam pro concesso ex S. etiam Patribus principio
præsupponat. *Vid. Prelus, Paran.* atque exinde in *Ecstatica
Saturni contemplatione Theodidactum suum edocturus edisserat:*
Ita quidẽ humanæ menti comparatũ esse, ut fieri posse non pu-
tet, simile quid earum rerum, quarum continuo usu assuevit, in
lucidissimis mundi illis globis latere: unde globos cælestes
elementarium qualitatum mistura defœdatos, vario aquei ele-
menti liquore perfusos, montium valliumque scabiritie exa-
speratos, fumis & halitibus obnoxios, similibusque terreno
globo propriis effectibus refertos esse, meras apud quosdam
nugas videri & fabulas: quos tamen si paulo profundius na-
turam rerum specularentur, certè tunc trito illo veterum Phi-
losophorum epiphonemate, omnia in omnibus esse, nihil
verius esse, intellecturos non dubium.*

§. 3. Hunc secutus *Pater Corneus in Apol. ad propos. 4.*
Ideo solũ etiam Solem eminenter calidum pernegat. *P. Caspar
Schottus* post detectas telescopio sole faculas & maculas, post

deprehenſas ebullitiones liquefacti ad inſtar æris in ardente
 clybano & poſt alia phænomena, luce clarius manifeſtata, iti-
 dem igneam ejus ſubſtantiam inſallibiliter concludit: & quod
 magis eſt, ignem Solis non minus etiam convenienti ali pabu-
 lo quam ignis & flamma ſubterranea in montibus igni, vo-
 mis affirmat. *Subtiliſſimus quidem Renatus des Cartes part. 3.
 princ. Phil. num. 22.* cum demonſtrat partes Cæli vicinas Soli
 eundem non deſtruere, ideò quidem non ita alimento quo
 repararetur indigere, attamen novam ſemper in ſolem in, gre-
 di materiam, & aliam ex eadem elabi, conſentaneum eſſe ra-
 tioni cenſet. Patet hinc juxta hanc recentiorum doctrinam
 feliciter & facili negotio modum influxus cæleſtis explicari
 poſſe. Sed recitaſſe hæc ſufficiat: ut cum *Geoclenio in diſquis
 Phil. qv. 6.* nobis in hac re ſummoperè obſcura dubitare liceat
 benevolè petimus. Inter principes enim hos Viros judici-
 um noſtrum interponere plenum temeritatis opus puto.
 Auditamen Epicuriſi *Maximi viri Sennerti, lib 2. de ſcient. na-
 turalis cap. 2. ita docentis*: Si quis tamen ſtatuat, Stellas quidem
 non igneo ſed ſui generis calore eſſe calidas, non video qua
 ratione ſolida refutari poſſit. Cauſa enim nulla eſt, cur cæ-
 lum omnium qualitarum expers eſſe debeat, nec eſt ut quis
 metuat, cælum ab inferioribus hiſce corruptum iri, ſi calidum
 ſit. Cum enim cælum nec eſſentiæ ratione nec qualitatibus,
 cum hiſce inferioribus eodem modo participet, nulla erit in-
 feriorum in cæleſtia actio: Hæc Citat. Auctor.

§. 4. Nos equidem anguſtam humani ingenii ſor-
 tem dolentes, in re tamen hac ardua aliquid tentantes, ut mo-
 dum hujus conjugii cæleſtis aperiamus, præſupponimus (1)
 quod licet mundus innumeris aſtralibus corporibus ſit refertus,
 ne minima quidē appareat ſtella, quæ non dotium ſuarum ex-
 cellentiam in unicum telluris globum conferat. præſuppo-
 nimus (2) Elementarem Mundum à diverſa horum corporum
 cæleſtium poſitione, & influentiis, non diverſam tantum
 ſortiri climatum conſtitutionem, ſed exinde etiam diverſas
 conſenſus & diſſenſus leges fundari: ut ideò Zona torrida fe-
 rat, quæ noſtra negat tellus, vel noſtra illic delata, ſpeciem
 quoque fere mutant, uti leges ap. Portam l. 8. Phyteg. præ-
 ſuppo-

supponimus (3) uti in aliis naturæ operationibus, ita & hic contactum requiri aut corporalem aut virtualem, atque hunc admittendum esse. Cum itaque inferiorem mundum teste Ptolom. supernis lationibus subistere dicitur, certe non per solum motum lumen, vel etiam radium id præstari censemus, sicuti aliàs viri eminentissimi ingenii *Avicenna*, *Averroes ap. Zabarell. de calor. celesti* Commodius siderum tam errantium quam inerrantium beneficis in sublunarem hunc mundum influxus, ad stellarum virtutes partim manifestas & communes, partim etiam occultas & proprias reducit. Hinc *B. noster Sperlingius exercit. phys. lib. num. 4.* modum traditurus cælestis calefactionis & frigectionis, itidem eodem plane modo ad virtutem stellarum, varia ex corporum naturalium compage effluvia educentem, confugit. Tutissimum ait. *lib. 5. instit. Solem, Martem, Canem & alias stellas calidas per effluvia & atomos igneas è terra extractas calefacere.* Hinc prout variant terræ variant etiam æstate ardores. Sic & aliæ stellæ atomos aqueas è terris & aquis extrahendo iisque ærem & obvia quævis replendo, frigiditatem causant: de humiditate & siccitate cæterisque idem esto iudicium, quippe quæ per effluvia hæc optimè innotescunt. Luna humectat corpora per effluvia humida, exsiccant stellæ aliæ per effluvia sicca. Non fit humectatio sine humore, nec exsiccatio sine corpore sicco.

§. 5. Dixi antea per occultas influentias & virtutes proprias: idem nimirum sentiens quod *B. Sennertus de Chymicorum & Galen. consensu cap. 18.* Dudum enim tam à Chymicis quam Astrologis etiam propositum, stellas alias cum aliis corporibus naturalibus arcano planè vel sympathiæ vel antipathiæ nexu conjungi, ob peculiare & occultas nobis vires. Hinc ultimò colliges, (quod notari velim) magnam habere inter se tum tellurem, nostram, tum ætheream illam regionem, similitudinem quæ una alteram fovet, & sibi invicem favent. An autem sympathia & similitudo hæc non nisi in admirabili tum virium tum actionum convenientia, formaliter aut eminenter ibidem fundata, consistant, atque an porro virium convenientia non nisi in essentiæ similitu-

litudine, cum pro ratione essentiæ rei vires insint, ab ipsâ pro-
veniant, hic non disputo. Summæ surgunt difficultates &
parum abesse intelligo, quin in Charybdim incidat, oprans
vitare Scyllam. Dies diem docebit. Inpræsentiarum quod
etiam ante monitum, dixisse sufficiat, per potentiam & virtu-
tem superadditam miras hæc causari operationes. Idem
hic repetimus quod alibi de diversâ tamen ingeminat mate-
riâ, *Magnus Scaliger exercit. 16. Rem novimus, modus verò rei la-
tet.* Novimus itidem inter inferiora hæc & superiora varios
consensus dissensusque, occultos modos intercedere: ita e. g.
corp9 Lunare cum terraquei globi humido præ cæteris sideri-
bus miras consensus leges exercee, non ex inanima-
tis solùm, sed & vegetabilibus, sensitivisque substantiis
quin vel ex ipsis humoribus in corpore humano existentibus,
qui ad lunæ incrementa mirificè alterantur patet: Lunatici
furiunt, prodagrici plus solito torquentur, & catharris ob-
noxii rhevmatis replentur, plura hujusmodi tradit *Illustris
Rolfincius passim in Method. Special. Medicin.* De seipso fatetur
apud Sachsium in Gamarol. solertissimus è Soc. Jes. P. Moretus
singulis interluniis per 24. horas singulari modo se affici.
In inanimatis lunares species uti varii lapides & mineralia:
In vegetabilibus plantæ ob occultû consensum, quem vel cum
Luna vel cum Sole habent, Lunariæ & Solares dicuntur *vid. Por-
tam. libr. 8. Phytogn.* In sensitivis animalia lunæ subjecta domi-
nio, miras humorum experiuntur vicissitudines; quibus
cum plena sint Physicorum monumenta (*vid. Thom. Willis
de Morbis Convuls.*) supervacaneum esse ratus sum, iis comme-
morandis diutius inharere. Admirandus cœli in sublunari-
bus consensus hinc satis patet: Intima verò & proxima eaqve
infallibilis connexio, quæ effectus hos ex hisce deducit cau-
sis, magnoperè controversa adhuc existit.

SECTIO

ns
m
fi
r-

m
di-
da
n-
bi-
ra
n-
in
n-
pa
ri-

liis
it,
le-
ce-
e.
nas
ru-
rid.
nis
tri-
tes,
u-
ru-
tes
haa
Co-
nt,
em,
ana
rum
fri-

tur,
mcle-
Ignis
ben-
qba
nno-
nio.
t.

05 A 1404

ULB Halle 3
003 781 917




5b

1077







EXERCITATIO ACADEMICA
PRIOR,
De
Causis laboranti

Naturæ obstetricantibus:

Virtute sc. Coeli & Ignis sub-
terranei;

Quam

Divina favente Gratiâ,

In Illustri Academia VVittebergens.

Benevolæ Eruditorum disquisitioni
submittent

PRÆSES

M. ADAM PURPIUS, Marchic.

Med. Stud.

arg.


RESPONDENS

JOHANN: CHRISTOPHORUS Adlung,

Erfurtinus.

In Auditorio Minori, ad d. XIII. Febr.

Horis pomerid.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

Anno MDC LXIX.